



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. VIII. De vili æstimatione, suiipsius, in oculis Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

fuerit humilitate fundatus, & diuina
 charitate repletus: si Dei honorem
 purè & integrè semper quærat: si se-
 ipsum nihil reputet, & in veritate
 Ps. 83. despiciat, atque ab aliis etiam despici
 & humiliari magis gaudeat, quàm
 honorari.

CAP. VIII.

*De vili æstimatione sui ipsius,
 in oculis Dei.*

Gen. 18. **L** O Q V A R ad Dominum meum,
 cum sim puluis & cinis? Si me
 amplius reputauero, ecce tu stas con-
 tra me: & dicunt testimonium verum
 iniquitates meæ, nec possum contra-
 dicere. Si autem me vilificauero, &
 ad nihilum redegero, & ab omni pro-
 pria reputatione defecero, atq; (sicut
 sum) puluerisauero, erit mihi propi-
 tia gratia tua, & vicina cordi meo lux
 tua: & omnis æstimatio, quantula-
 cumque minima, in valle nihilitatis
 meæ submergetur, & peribit in eter-
 num. Ibi ostendis me mihi, quid
 sum, quid fui, & quò deueni: quia
 nihil sum, & nesciui. Si mihi ipsi re-
 linquor,

linquor, ecce nihil, & tota infirmitas. Si autem subito me respexeris, statim fortis efficior, & nouo repleor gaudio. Et mirum valdè, quòd sic repente subleuor, & tam benignè à te complector, qui proprio pondere semper ad ima feror.

2 Facit hoc amor tuus, gratis præueniens me, & in tam multis subueniens necessitatibus, à grauibus quoque custodiens me periculis, & ab innumeris (vt verè dicam) eripiens malis. Me *Ioan. 12* siquidem malè amando, me perdidisti: & te solum quærendo, & purè amando, me & te pariter inueni, atque ex amore profundius ad nihilum me redegi. Quia tu, ô dulcissime, facis mecum supra meritum omne, & supra id, quàm audeo sperare vel rogare.

3 Benedictus sis Deus meus; quia licet ego omnibus bonis sim indignus, tua tamen nobilitas & infinita bonitas, numquam cessat benefacere etiam *Mat. 5.* ingratis, & longè à te auersis. Conuertere nos ad te, vt simus grati, humiles, & deuoti: quia salus nostra tu es, virtus, & fortitudo nostra.